

noſter, Calvarie appellatur, ſcilicet quod ibi ſit antiqui hominis Calvaria condita: ut ſecundi Adam, id eſt Chriſti ſanguis de cruce ſtillans, primi Adam, & jacentis protoplaſti peccata dilueret, & tunc ſermo ille Apoſtoli completeretur. Excitare qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Quantos hæc urbs Prophe-
 tas, quantos emiſerit ſanctos viros longum eſt recensere. Totum myſterium noſtrum, iſtius provinciæ, urbiſque vernaculum eſt. In tribus nominibus Trinitatis demonſtrat fidem. Jebus, Salem & Hieruſalem appellatur, primum nomen calcata, ſecundum pax, tertium viſio pacis. Paulatim quippe pervenimus ad finem, & poſt conculcationem ad pacis viſionem erigimur; ex quo Salomon, id eſt pacificus, in ea natus eſt, & factus eſt in pace locus ejus. Et in figura Chriſti ſub etymologia urbis, Dominus Dominantium & Rex Regum nomen accepit. Multò nunc auguſtior eſt quàm antè fuit. Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & propitiatorium, & arca teſtamenti, manna, virga Aaron, & altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur ſepulchrum Domini? quod quotieſcumque ingre-
 dimur, toties jacere in ſyndone cernimus Salvatorem: & paululum ibidem com-
 morantes, ruruſum videmus Angelum ſedere ad pedes ejus, & ad caput ſuda-
 rium convolutum. Cujus ſepulchri gloria multò ante quàm excideretur à Joſeph,
 ſcimus Eſaiæ vaticinio prophetatum dicentis; & erit requies ejus honor: quod ſcili-
 cet ſepulturæ Domini locus eſſet ab omnibus honorandus. Civitas magna, in qua
 crucifixus eſt Dominus, nulla eſt alia, niſi Hieruſalem. Longum eſt nunc ab
 aſcenſu Domini uſque ad præſentem diem per ſingulas etates currere, qui Epi-
 ſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Eccleſiaſtica virorum vene-
 rint Hieroſolymam, putantes minus ſe religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſum-
 mam, ut dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraffent lo-
 cis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruſcaverat. Certè ſi præclarus
 orator reprehendendum nescio quem putat, quod litteras Græcas non Athenis
 ſed Lilybæi, Latinas non Romæ ſed in Sicilia didicerit; quod videlicet una-
 queque provincia habeat aliquid proprium, quod in alia æque haberi non poſ-
 ſit: cur nos putamus abſque Athenis noſtris quemquam ad ſtudiorum ſtaſtigia per-
 veniſſe? Quid plura? unum tamen addam, nimirum quod ſi Hieruſalem vi-
 gente Moſis lege ideo civitas Dei vocata eſt, quod Deitas ſuprema, peculia-
 ri & eminenti modo diu apud eam in templo Salomonis habitavit: eadem
 in lege gratiæ mater omnium Eccleſiarum à Patribus Concilii primi Con-
 ſtantinopolitani generalis, ut refert Theodoretus ^a, appellata eſt. Rationem
 afferam, quod in ea, ut ait D. Hieronymus ^b, primum fundata Eccleſia to-
 tius orbis Eccleſias ſeminavit. Hanc matrem Chriſtiani nominis vocavit Im-
 perator Juſtinus ^c, adeo ut nemo audeat ab ea ſeſe diſcernere. Quia vide-
 licet Apoſtoli, inquit Juſtinus martyr ^d, Hieroſolymis egreſſi ubique prædi-
 caverunt; & ante Apoſtolorum diſperſionem, Parthi, & Medi, & Ælami-
 tæ, & qui habitabant Meſopotamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum
 & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ
 eſt circa Cyrenem, & advenæ Romani, Judæi quoque & Proſelyti, Cretes
 & Arabes in ea civitate primum fide imbuti ſunt, ut in Actis Apoſtolorum
 legitur ^e, ac poſtea ſinguli gentem ſuam Chriſti lumine illuſtrarunt. Id autem
 cum ita ſit, quis Hieroſolymitanam Eccleſiam Patriarchali dignitate & au-
 thoritate inſigniri non ſolum conveniens, ſed etiam juſtum exiſtinet? maxime
 cum Patriarchales Eccleſiæ ex hoc inſtitutæ fuerint, quod ab iis cæteræ origi-
 nem duxiſſent, quaſi τ πατρίων ἀρχαί hoc eſt familiarum Chriſti principes.

Nec tamen, id niſi quantum ad nomen & honorem, ab initio factum
 fuiſſe dixerim: Etenim quamvis civitas hæc, priuſquam à Tito deſtruere-
 tur, Metropolis eſſet totius Judææ, ut jam ex Eufebio diximus; ea tamen
 everſa, Cæſarea Metropolis dignitatem obtinuit. Unde etiam factum eſt,
 ut Eccleſia Hieroſolymitana Cæſarienſi tanquam Metropolitanæ diu ſub-
 jecta manſerit. Si de hac Hieroſolymitanæ Eccleſiæ dignitate dubites, hanc

^a Theodor. l. 1. ſ.
 Hiſt. Eccl. c. 9.
 τῆς δὲ γε μητρὸς
 ἀπαρτῶν τῶν ἐκ-
 κλησιαίων τῆς ἐν Ἱερ-
 οσολύμοις.
^b D. Hieron.
 in Iſaiæ cap. 2.
^c Juſtin. Imp.
 Epift. ad Hor.
 miſd. poſt Epift.
 71.
^d Juſt. in Apol.
 2.
^e Actuum 2.

III.
 CÆSAREADIT
 PRIMARIA TO
 TIUS PALÆ
 STINÆ.